

.lxxii. ITEM ALIA .

Scire et intelligere debemus fratres karissimi . quod beatus pa-
lus reuelat dicens . templum dei uiui estis . et spiritus sanctus habitat
in uobis . In singulis itaque iustis et sanctis atque perfectis . et in uni-
uersa sancta dei aecclesia quę est . congregatio iustorum . spiritus sanctus
semper habitat cum pace docens . Et ideo aecclesia orauit di-
cens . doce me facere uoluntatem tuam . quia deus meus es tu .
Hic ostenditur quod uoluntas domini semper in bonitate
manet . et spiritus sanctus confirmat¹ orationem humilium ab omnibus
peccatis se custodientium . Si quis autem corpus suum
aut aecclesiam peccando uel docendo errorem et idolatriam
uiolauerit . Alienus erit abiectus a communione dei
et sanctorum eius et inuisus est deo sicut scriptum est . qui non est
mecum . contra me est . sicut salomon ait . Omnem uiam
iniquitatis odio habui . Iniqua enim uia est . quę nos
ducit ad uitia prauorum operum . Si quis autem uidetur sapiens
esse . stultus fiat ut sit sapiens . Humana enim sapientia
non permittit sentire diuinam sapientiam . quę nos docet ue-
nire ad uitam aeternam . Sapientia enim huius seculi stulti-
tia est apud deum . Hoc est in uindictam malorum ma-
nere et in odio semper habitare . De qua scriptum est .
Comprehendam sapientes in astutia sua . et confundam
eos . Et iterum . Nouit dominus cogitationes sapientium . quoniam
uanę sunt . De diuina autem sapientia dictum est .
Beati omnes qui timent dominum . qui ambulant in uiis eius .
Timor enim sanctus domini ex amore eius descendit per sapien-
tiam . ut in fide prohibemur ambulare per uias domini rec-
/144r/ tas . et mandata ipsius deuota mente perficere . ut cuncta bona

¹ confirmat] corr. from confirmet

uidere cum sanctis eius mereamur in caelis . De quibus propheta ait .
Credo uidere bona domini in terra uiuentium . Et ideo ammonuit
dicens . A solis ortu usque ad occassum . Laudate nomen domini .
Vniversalem aecclesiam per totum mundum designat . Lauda
re et glorificare nomen domini . Et ideo preconia eius tacere
non debemus . quia in excelsus est super omnes gentes . et super
omnes celos deus . per has itaque duas partes uniuersam crea
turam intelligimus per gentes enim carnales homines .
per celos autem spiritales ordines designauit . supra quos
omnes sedere et in eis semper habitare desiderat . desuper
cuncta prospiciens . Unde precauere ac semper in orati
onibus uigilare debemus fratres karissimi . Sicut petrus apostolus
ait . Estote prudentes . et uigilate in orationibus . Et
quia saluator in euangelio nos incerti finis intuitu .
semper orare ac uigilare precepit . ait namque loquens de die
iudicii . uigilate itaque omni tempore orantes . ut digni
habeamini fugere omnia mala quæ uentura sunt .
et stare ante filium hominis . bene autem in orationibus
uigilare iubemur . ut cum stamus ad orationem omnis cogi
tatio carnalis et secularis abscedat a nobis . nec quicquam
tunc animus preter id solum cogitet quod precatur . Subripit
enim frequenter hostis . et subtiliter fallens preces nostras
a deo repellit . ut aliud habeamus in corde . et aliud pro
feramus in uoce . Dum con intentione sincera deum debeat
non sonus uocis . sed animi sensus orare . Melius est
enim puro corde orare sine uocis recitatione . quam
uerba proferre sine mentis intuitu . De auditu quoque
/144v/ et silentio iacobus apostolus dicit . sit omnis homo uelox ad audi
endum . tardus autem ad loquendum et tardus ad iram . Hinc
auditorem quemque moralibus instituit preceptis . et recte primo
ammonet aurem suam citius acommodare . Sero autem os ad lo-

quendum aperire . quia valde stultum est quem libet quae
ipse non didicerit . aliis uelle predicare . Qui ergo sapientiam dili-
git . primo hanc a deo postulet . sicut salomon postula-
uit dicens . Emitte domine sapientiam de sede magnitudi-
nis tuę . ut mecum sit et mecum laboret . ut sciam quid accep-
tum sit coram te omni tempore . De hinc magistrum ueri-
tatis . humilis auditor inquirat . et inter agendum suam cau-
tissime linguam non solum ab otiosis sermonibus coherceat .
uerum et ipse quam nuber didicit ueritate predicanda se con-
tineat . Hinc salomon de distantia temporum scribens ait .
tempus tacendi et tempus loquendi . prius tacendi de-
inde loquendi dixit . ut auditores ante disca`n't que lo-
quantur . et postea praedicent ac doceant . et tardus ad-
iram . Quia maturitas sapientię non nisi tranquilla
mente et puro corde percipitur . scriptum est enim . Quia
ira in sinu stulti requiescit . Idcirco autem tardos ad iram
nos esse precipit . ut non quos libet ob causas . serenitatem nostri uultus
in austерitatem uertamus . sed certa existente ratione uerbi
gratia . si aliter corrigi proximos maxime qui nobis commisi sunt
non posse cernamus . seueritatem erga eos uerbi uel etiam
iudicii distinctionis exhibeamus . manente tamen quantum
natura humana patitur . statu nostre mentis sereno . Credo
enim fine es . samuel . elias . et petrus . tardi fuerunt ad
iram . et tamen peccantes uel uerbo uel gladio interemerunt .

/145r/ Sed et moyses cum esset uir mi`t`issimus . exiuit a faraone quem in
corrigibilem uidit iratus nimis . et comminatus est ei poenam
quam et opere patrauit . Ira enim uiri . iustitiam dei non operatur .
facilis est sensus . quia qui iracundię uitiosae incautus se sub-
iugat . et si hominibus iustus appetet . in diuino tamen exa-
mine `non`dum perfecte iustus est . Qualis cumque enim iudex homo
ammisa mentis tranquillitate delinquentem iudicat .

etiam se iuste iudicat . iustitiam tamen diuini examinis in
quam perturbatio cadere nescit . imitari non potest . Ira
enim dei quę humano dicitur affectu . iustitiam semper operatur .
ut in sodomis in pharaone . in aegypto . in mari rubro .
et in ipso israel populo in deserto . De quo dicitur . Iratus est
furore dominus in populo suo . et abominatus est . heredita
tem suam . Propter quod abientes omnem immunditiam et a-
bundantiam malitię . In mansuetudine suscipite insi-
tum uerbum . quid potest saluare animas uestras . Primo
et corpus et mentem auitus iubet expurgare . quia nisi
quis declinet prius a malo . non potest facere bonum .
In mansuetudine hoc est sine ira . suscipite per fidem rectam
in mente pura uerbum a deo misum . Hoc est uerbum credu-
litatis . uerbum euangelii . postremo uerbum de quo iohannes
dixit . In principio erat uerbum . et uerbum erat apud deum .
et deus erat uerbum . ut ubi abundauit peccatum . super
abundet gratia dei . qui per filium semper consuevit saluare
animas credentium . Hinc petrus ait . si quis loquitur .
quasi sermones dei . Timens uidelicet ne quis preter
uoluntatem dei uel preter quod in sanctis scripturis euidenter
precipitur . dicat aliquid uel impleat . et inueniatur tamquam
/145v/ falsus dei aut sacrilegiis . uel introducens aliquid alienum
a doctrina domini . uel certe subrelinquens aliquid eorum
quę deo placita sunt . Cum ipse manifeste predictoribus
ueritatis de his quos ad uitam imbuent pręcipiat dicens .
Docete eos seruare omnia quecumque mandaui uobis . quasi
hoc dixisset . ut uos docendo . et illi seruando . simul
gaudeatis in conspectu dei . quando iusti fulgebunt
sicut sol sol² in regno patris eorum in perpetua uita sine
fine . per infinita secula seculorum . amen .

² sol] canceled by subpunction